MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80461-10

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KIESSLING, ADOLF

TITLE:

ADOLFI KIESSLING
ANALECTA CATVLLIANA

PLACE:

GRYPHISWALDIAE

DATE:

1877

Master Negative #
92-80461-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C34
EZ6 Kiessling, Adolf, 1837-1892.
...Adolfi Kiessling Analecta Catvlliana.
Gryphiswaldiae, typis Frid. Gvil. Kvnike, 1877.
20 p. 30 cm.

At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Gryphiswaldensi...

49241

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 15X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/21/92 INITIALS tm
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87C34
EZ6 No. 10

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXVII

A DIE IX MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INSVNT

ADOLFI KIESSLING ANALECTA CATVLLIANA.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXVII.
1877.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

FRIDERICVS MOSLER

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

In Catulli carminibus vel post praeclaras Lachmanni Hauptiique curas etiamnunc extare quae philologi medicinam non solum efflagitent verum etiam admittant, cum per hos menses ea accuratius enarrabam et a recentissimorum criticorum libidine temeraria vindicabam aliquot edoctus sum exemplis. Atque cum sollemnis haec scribendi occasio denuo mihi daretur, e re fore putabam si ea quae in unius saltem carminis praeclarissimi, elegiam dico ad M'Allium missam, emendatione atque interpretatione profecisse mihi visus eram proponerem.

Leguntur vero ea de quibus disputaturus sum inde a versu centesimo quinto:

Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia, [1])
    ereptum est vita dulcius atque anima
coniugium: tanto te absorbens vertice amoris
    aestus in abruptum detulerat barathrum,
quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum
    siccare emulsa pingue palude solum,
quod quondam caesis montis fodisse medullis
    audit falsiparens Amphitryoniades,

---

[1]) Scriptura *Laudamia* nata ex volgari pronuntiandi ratione, cuius caussas Usenerus meus [Ann. phil. 1865, 227 sq.] egregie ostendit, et iam ab archetypi correctore emendata — nam *laudomia* quod hic et v. 74. 80 in Veronensi libro fuit ex correctione *laudamia* ortum est — metro refragatur, si quidem *laudamia* ex latini sermonis natura ditrochaeum efficere debet, quemadmodum et Plinianus ille de *Laudicenis* [epp. II. 14] iocus docet, et poetarum exempla quae composuit Mueller de re metr. p. 265.

tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
perculit imperio deterioris eri,
pluribus ut caeli tereretur ianua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Set tuus altus amor barathro fuit altior illo
† qui tuum domitum ferre iugum docuit.

Ordiar a grammaticae artis rationibus, quae quantumvis tenui filo errabunda interpretum vestigia regere debent. Quonam, quaero, spectat plusquamperfectum tempus quo usus est poeta versu 108 *detulerat?* Si cum eis quae proxime antecedunt iungas, ut Laodamia amoris aestu tanto vertice in barathrum delata esse dicatur, ut Protesilaus ei eriperetur, vide mihi quam insulsa evadat sententia, qua rerum caussarumque nexus in contrarium pervertitur. Protesilai enim funere acerbo Laodamia in abruptum miseriarum barathrum deiecta est. Sin vero barathri vocabulum de amore alto et insatiabili ideoque funesto quo demersa sit Laodamia accipias, quid ultimo fiet quod exscripsi disticho

Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo
qui tuum domitum ferre iugum docuit?

Utrius enim barathri altitudinem superasse eius amor putandus est? barathrine Pheneatium?[2]) perquam esset frigidum amoris altitudinem quae animo non sensibus percipitur sic ad decempedarum modulum exigere, cum praesertim Pheneatium ille emissarius non ob voraginis profunditatem, sed propter operis difficultatem insignis fuerit. An altior fuit illo quo ipsa abrepta est barathro amoris? qui autem is amor semet ipso altior vocari potest? Nihil istorum, sed ratione longe simplicissima Laodamiae amorem vel miseriarum atque infortunii voraginem profundissimam in quam amoris aestu delata erat superasse et explevisse significat Catullus. Comparatione igitur absoluta redit sermo ad sententiam antea incohatam:

Tanto te vertice amoris
aestus in abruptum detulerat barathrum:
Set tuus altus amor barathro fuit altior illo
qui tuum domitum ferre iugum docuit.

Sentis iam opinor plusquamperfecti acumen, quo amor Laodamiae quamvis praeceps actus tamen malorum barathrum superasse dicitur. Id ipsum vero quanam in re patefactum esset cum poeta declarare deberet, ultro apparet hoc eum vix alia via instituere potuisse, nisi significando quomodo Laodamiae ardores ne mariti quidem morte extingui potuerint. Quod cum comparationibus quae inde a versu 119 sequuntur a seri nepotis caritate columbulorumque

²) Barathri vocabulum in quo ludit poeta adsumptum est ex Alexandrino poeta qui propriam emissarii Pheneatici appellationem novit; cf. Pausan. VIII 14, 2 *τὰ δὲ βάραθρα οἱ Φενεᾶται ταῦτά φασιν εἶναι χειροποιητά*, quibuscum iungenda quae ex Eratosthene profert Strabo VIII p. 389 *Ἐρατοσθένης φησὶ περὶ Φενεὸν μὲν τὸν Ἀνίαν . . . λιμνάζειν τὰ πρὸ τῆς πόλεως, καταδύεσθαι δ' εἴς τινας ἠθμούς, οὕς καλεῖσθαι ζέρεθρα.* Alexandrinum quoque poetam redolet v. 112 . . *ψευδοπάτωρ Ἀμφιτρυωνιάδης*, quamquam significatione alia hoc vocabulo usus est Callimachus [H. in Cer. 99], cui Neptunus audit *ψευδοπάτωρ*.

lascivia ductis nequaquam effici videamus — iis enim ardentissimi amoris natura in universum depingitur³), — sequitur in enuntiato relativo

qui tuum domitum ferre iugum docuit

significari quo documento Laodamia fidem insignem erga maritum mortuum praestiterit.

Huius vero enuntiati emendatio tum demum perfici poterit cum qualem fabulae de Protesilai morte formam Catullus expresserit nobis constiterit, quem ad finem quas huius mythi forma subierit mutationes percensere oportet.

Atque primarium semper in hac fabula obtinuit locum fidei documentum egregium quo uxor recens nupta marito comes ad inferos ire sustinuit. Novit hoc catalogi auctor [*B* 700]

τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο
καὶ δόμος ἡμιτελής· τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ
νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν ⁴)

3) Nam nec tam carum confecto aetate parenti
una caput seri nata nepotis alit,
qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
nomen testatas intulit in tabulas,
impia derisi gentilis gaudia tollens
suscitat a cano volturium capiti;
nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
compar, quae multo dicitur inprobius
oscula mordenti semper decerpere rostro
quam quae praecipue multivola est mulier:
Set tu horum magnos vicisti sola furores,
ut semel es flavo conciliata viro.

Prioris comparationis elementa ducta ex poesi Homerica [*I* 481]

καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ
μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.

et a Pindaro artificiosius elaborata [Olymp. XI, 86]

ἀλλ' ὥτε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρί
ποθεινὸς ἵκοντι νεότατος ἐς τὸ πάλιν ἤδη· μάλα δέ οἱ θερμαίνει φιλότατι νόον·
ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα
ἐπακτὸν ἀλλότριον
θνάσκοντι στυγερώτατος

arte exquisita a Catullo immutata sunt. Substituit enim, ne spes anxia patris senis serum sibi filium quaerentis derisui esset, avum nepotem expectantem. Qui si ex filia unica et ab hereditate paterna propter iustum quo in viri manum convenerat matrimonium exclusa natus non erit, avita bona gentiles nancturi sunt. Singula igitur comparationis momenta ad sui aevi Romanorumque morum rationes exacta sunt.

4) Hinc sumpsit Catullus [68, 73 - 77]

Coniugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaeam Laodamia *domum*
inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
hostia caelestis pacificasset eros.

Secutus igitur est eorum interpretationem, qui Protesilai domum nondum perfectam atque sollemnibus sacris in deorum tutelam commissam significari intellexerunt: *ἔθος γὰρ ἦν τοῖς γήμασι θάλαμον οἰκοδομεῖσθαι, διὸ οἱ πολλοί φασιν ὅτι οἰκοδομῶν θάλαμον ἑαυτῷ ὁ Πρωτεσίλαος ἀπέπλευσεν ἐπὶ τὸν πόλεμον* [Schol. ad *B* 701]. cf. Wackernagel Opusc. II p. 413 not. — Simili ratione Homericam locutionem expressit Valerius Flaccus VI 689:

coniunx miseranda Caico
linquitur et primo *domus inperfecta* cubili.

novit Cypriorum poeta, cui Protesilai uxor audit Polydora Cleopatrae filia, Marpessae neptis, scilicet ex ea stirpe oriunda cuius mulieres maritorum mortibus superstites esse nesciunt.[5]) Neque ab epici carminis simplicitate abhorrere, quod Protesilaus cum apud inferos durare nequeat unius noctis venia impetrata domum revertitur Laodamiam secum ad Orcum deducturus, is non negabit qui eorum similitudinem consideraverit quae Wackernagel composuit ut Buergerianae Leonorae artificium illustraret [Opusc. II p. 399—427]. Haec autem fabella, ex qua Lucianus dialogi argutissimi [dial. mort. 24] repetiit occasionem, sicut Ausonio [6]) quoque obversata est, cum ex recentiorum poetarum commentis certe non fluxerit, nescio an aliquo vinculo conexa sit vel cum Protesilai fano celeberrimo quod Elaeunte iam ante quintum saeculum colebatur [Herod. IX 116. 120], vel cum certaminibus quibus Thessali equites Pindari aetate [Isthm. I 58] Protesilai sepulcrum prope Phthioticas Thebas celebrabant.

Tragici poetae, ex quibus primus Euripides hoc argumentum tractasse videtur, quemadmodum traditam mythi formam ad tragoediae indolem aptaverint paullo certiore enucleari potest ratione. Ordiendum est a docta Eustathii disputatione ad Iliad. *B* 701 [pag. 325, 1—326, 9], quae tota fere excerpta est ex Porphyrii commentario περὶ τῶν παραλελειμμένων τῷ ποιητῇ ὀνομάτων [cf. Schol. ad *Γ* 250; 315]. Summam eius habeto hanc:

(325, 1—7) παθαίνεται δὲ Ὅμηρος ἐν τούτοις ἐπὶ τῷ Πρωτεσιλάῳ, οἷα φιλέλλην οἰκτιζόμενος, ἔστι (l. ἔτι) δὲ καὶ θαυμάζων τοῦ θάρσους εἴπερ

χρησμοῦ δοθέντος πρῶτον ἐν Τροίᾳ πεσεῖν

τὸν

. . προπηδήσαντα τῆς νηὸς . .

Ἀχιλλεὺς μὲν ὑπέτρεσε · κατά τινας καὶ τελευταῖος εἰς γῆν ὁ τῶν Ἑλλήνων πρώτιστος κατεπήδησεν · Πρωτεσίλαος δὲ φερωνύμως πρῶτός τε τοῦ λαοῦ καθήλατο τῆς νεὼς καὶ πρῶτος τοῦ λαοῦ πέπτωκε [7]), ἑλόμενος οὕτω παθεῖν ἤπερ κατεπτηχότας βλέπειν τοὺς Ἀχαιούς.

Pergit deinde (325, 22—326, 9)

γυνὴ δὲ Πρωτεσιλάῳ Λαοδάμεια ἡ Ἀκάστου φίλανδρος πάνυ καὶ μὴ ἀνασχομένη ζῆν μετὰ τὸν τοῦ ἀνδρὸς θάνατον, περὶ ἧς λόγος φέρεται τοιοῦτος. Πρωτεσίλαος καὶ μετὰ θάνατον ἐρῶν τῆς γυναικὸς κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης ἠτήσατο τοὺς κάτωθεν ὄντας ἀνελθεῖν, καὶ ἀνελθὼν εὗρεν ἐκείνην ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην . αἰτήσαντος δέ, φασι, μὴ ὑστερεῖν αὐτοῦ ξίφει διεχρήσατο ἑαυτήν . ἕ τ ε ρ ο ι δὲ ἄλλως φασι τὴν Λαοδάμειαν καὶ τεθνεῶτος τε (l. τοῦ)

5) *Λυγκέως μὲν δὴ παῖδα οὐκ ἴσμεν γενόμενον, Ἴδα δὲ Κλεοπάτραν θυγατέρα ἐκ Μαρπήσσης, ἣ Μελεάγρῳ συνῴκησεν . ὁ δὲ τὰ ἔπη ποιήσας τὰ Κύπρια Πρωτεσιλάου φησίν, ὃς ὅτε κατὰ τὴν Τρῳάδα ἔσχον Ἕλληνες ἀποβῆναι πρῶτος ἐτόλμησε, Πρωτεσιλάου τούτου τὴν γυναῖκα Πολυδώραν μὲν τὸ ὄνομα, θυγατέρα δὲ Μελεάγρου φησὶν εἶναι τοῦ Οἰνέως . εἰ τοίνυν ἐστὶν ἀληθὲς αἱ γυναῖκες αὗται τρεῖς οὖσαι τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ Μαρπήσσης ἀρξάμεναι προαποθανοῦσι πᾶσαι τοῖς ἀνδράσιν ἑαυτὰς ἐπικατέσφαξαν.* Pausan. IV 2, 5.

6) Auson. Idyll. 5, 35 Praereptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functique mariti.

7) fuitne *Πρωτεσίλεως φερωνύμως*
λεώ τε πρῶτος τῆς νεὼς καθήλατο
λεώ τε πρῶτος ἔπεσεν?

Πρωτεσιλάου ἔρωτι ἐκκαίεσθαι χόλῳ Ἀφροδίτης . ἀγγελθέντος γὰρ τοῦ πάθους, οὐ μόνον χαλεπῶς ἤνεγκέ, φασιν, ἀλλὰ καὶ ἀναγκαζομένη πρὸς τοῦ πατρὸς γάμῳ δευτέρῳ ζευχθῆναι οὐκ ἀπέστη τοῦ ἐρᾶν, ἀλλὰ κατεχομένη ἐνυκτέρευε μετὰ τοῦ ἀνδρός, μᾶλλον αἱρουμένη τὴν πρὸς τὸν τεθνεῶτά, φασι, συνουσίαν ἢ τὴν πρὸς τοὺς ζῶντας ὁμιλίαν, καὶ ἐξέλιπεν ὑπ' ἐπιθυμίας . μεμύθευται δὲ ταῦτα διὰ τὸ ἐκείνης φίλανδρον ἀνειδωλοποιουμένης, ὡς εἰκός, τὸν ἄνδρα καὶ συνεῖναι δοκούσης αὐτῷ καὶ θανόντι . δῆλον οὖν ὡς κατὰ τοὺς λόγους τούτους οἱ ἀμέτρῳ ἔρωτι κάτοχοι σκωφθήσονται, ὡς ἄρα καὶ θανόντες ἐρῷεν ἂν κατὰ τὸν ἐπὶ Πρωτεσιλάῳ μῦθον καὶ τῇ αὐτοῦ γυναικί.

Δάρδανος δὲ ἀνὴρ, ὡς ὁ Π ο ρ φ ύ ρ ι ο ς ἄριστα διασκευάζει, ἢ κατὰ γένος ὁ ἐκ τῶν Δαρδάνων, ὡς καὶ ἐπὶ Πατρόκλου „ὅν βάλε Δάρδανος ἀνήρ“ [*Π* 807] ὅπερ, οὕτω δόξαν τῷ ποιητῇ, διασαφεῖ ἐκεῖ ποῖος Δάρδανος, „Πανθοίδης Εὔφορβος“, [*Π* 808] καί φασιν οἱ π α λ α ι ο ὶ ὅτι εἴπερ ἦν τῶν ἐνδόξων ὁ ἀνὴρ ἐμνήσθη ἂν αὐτοῦ ὁ ποιητής, καὶ ὅτι οἷον παθαινόμενος ὁ ποιητὴς ἐπὶ τῷ ἥρωι ὀκνεῖ πρὸς ὄνομα εἰπεῖν τὸν ἀνελόντα, ἵνα μὴ ἀοίδιμος εἴη . . . . ἤγουν Δάρδανον ἄνδρα ὡς ἐρρέθη νοήσει τις ἀορίστως κατὰ ἐθνικὸν εἶδος, ἢ ὀνοματικῶς, τουτέστι κατὰ κύριον ὄνομα ὁμώνυμον τῷ ἐθνικῷ, ὥσπερ καὶ Ἀχαιὸς κατὰ τὸν αὐτὸν Π ο ρ φ ύ ρ ι ο ν τραγῳδίας ποιητὴς Ἐρετριεὺς ὁμώνυμος τῷ ἐθνικῷ, καὶ Λίβυς ὁμοίως ὁ Λυσάνδρου ἀδελφὸς, καὶ Ἐπειὸς ὁ τέκτων τοῦ δουρείου ἵππου κατὰ ὁμωνυμίαν Ἐπειοῦ τοῦ ἐθνικοῦ, καὶ Σκύθης ὁ Ἀκαδημαικὸς σοφὸς (l. φιλόσοφος)[8]) κατὰ φωνὴν ἐθνικὴν, καὶ „Μαίων Αἱμονίδης“ [*Δ* 394] ὁμωνυμῶν τῷ Λυδικῷ ἐθνικῷ Μαίονι οὕτως οὖν καὶ Δάρδανος εἴη ἂν κύριον ὃς ἀνεῖλε Πρωτεσίλαον, ὥσπερ κύριον καὶ ὁ Δάρδανος ὃν ἀνελεῖ ὁ Ἀχιλλεὺς [*Υ* 460], ὃς καὶ Τρῶα ῥίπτει που Ἀλαστορίδην [*Υ* 463], ὁμώνυμον τῷ ἐθνικῷ Τρωί. εἰ δέ τι δοκεῖ ἐμποδὼν εἶναι εἰς τοῦτο προσκείμενον τὸ ἀνήρ, οὐδεὶς γὰρ ἄν, φασιν, εἴποι Πρίαμος ἀνήρ, ἐνθυμητέον τὸ „φῶτα Ἡρακλέα“ [*φ* 26] ὅμοιον ὂν τῷ Δάρδανον ἄνδρα καὶ Δάρδανος ἀνήρ. Παλαίφατος δέ φασιν ἱστορεῖ, ὅτι Αἰνείας ἀνεῖλε τὸν Πρωτεσίλαον· ἕτεροι δὲ ὑπὸ Ἀχάτου αὐτὸν πεσεῖν φασὶν ἑταίρου Αἰνείου· τινὲς δὲ Δάρδανον ἄνδρα ἐνταῦθα τὸν Ἕκτορα νοοῦσιν, ὅπερ οἱ μὴ ἀποδεχόμενοι φασὶν, ὅτι ἐὰν ὁ Ἕκτωρ ἔρριψε τὸν Πρωτεσίλαον εἶχεν εἰπεῖν ὅτι „τὸν ἔκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ“ [9]) ἢ „Δάρδανος Ἕκτωρ.“

Vides Eustathium ab initio ex scholiis antiquis referre tragoediae alicuius ὑπόθεσιν ἔμμετρον, quae alia esse nequit nisi Protesilai Euripideae hypothesis ab Aristophane composita. In Laodamiae vero mortis enarratione, quam inde a p. 325, 22 ex Porphyrio exhibet Eustathius, duarum discerni possunt fabularum argumenta: in priori Protesilaus ipse statim post mortem reversus secum ad inferos abripit uxorem quam invenerat ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην. In altera Laodamia mariti morte cognita alteras nuptias repudians imaginem Protesilai sibi effinxit, quacum veluti cum vivo coniuge degit donec ἐξέλιπεν ὑπ' ἐπιθυμίας. Porphyrianae igitur disputationis fundus fuit liber aliquis in quo Aristophanis legebatur hypothesis in pedestrem sermonem redacta, cui additum fuit quemadmodum idem argumentum ab alio quoque

8) cf. Diogen. Laert. IV 6, 1 *Ἀρκεσίλαος Σεύθου, ἢ Σκύθου ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ χρονικῶν, Πιτάνης τῆς Αἰολίδος*. iniuria igitur Cobetus verba *ἢ Σκύθου* ut ex dittographia orta expunxit.

9) Sic revera scripsisse Demetrium Scepsium refert Tzetzes ad Lycophr. 530.

poeta tractatum esset. Iam si reputaverimus qua ratione in eis quae Alcestidi Euripidis praescripta sunt Dicaearchi Aristarchei [10]) hypothesis cum Aristophanea iuncta legitur, unde utraque in Platonis scholia [ad Sympos. 179 B] promanavit, probabilis fit suspicio Porphyrium quoque sua ex libro illo ὑποθέσεων hausisse, cuius vestigia successu felicissimo nuperrime indagare coeperunt Wilamowitzius [Anall. Euripid. p. 181 sq.] et Robertus [de Apollodori bibliotheca p. 82].

Clarior iam hinc lux affunditur Hygini narrationi quae per duo capita (103 et 104) continuata sic traditur:

CIII PROTESILAVS

Achivis fuit responsum qui primus littora Troianorum attigisset periturum. cum Achivi classes applicuissent ceteris cunctantibus Iolaus Iphicli et Diomedeae filius primus e navi prosilivit, qui ab Hectore confestim est interfectus: quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. [*quod uxor Laodamia Acasti filia cum audisset eum perisse flens petit a dis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato a Mercurio reductus, tres horas cum eo collocuta est. quod iterum cum obisset Protesilaus dolorem pati non potuit Laodamia. CIV LAODAMIA*] [11]) Laodamia Acasti filia amisso coniuge cum tres horas consumpsisset, quas a dis petierat, fletum et dolorem pati non potuit. Itaque fecit simulacrum cereum simile coniugis Protesilai et in thalamis posuit sub simulatione sacrorum et eum colere coepit. quod cum famulus matutino tempore poma ei attulisset ad sacrificium, per rimam aspexit viditque eam ab amplexu Protesilai simulacrum tenentem atque osculantem, aestimans eam adulterum habere Acasto patri nuntiavit. qui cum venisset et in thalamos irrupisset vidit effigiem Protesilai: quae ne diutius torqueretur, iussit signum et sacra pyra facta comburi: quo se Laodamia dolorem non sustinens immisit atque usta est.

Hanc narrationem ex tragicae poesis fonte deductam esse uno eoque certissimo argumento demonstrari potest. Trium enim horarum colloquium ut in prisco mytho longe ineptissimum, ita scaenico poetae prorsus necessarium fuit, ne fabulae decursus continuus intervallo totius noctis interrumperetur. Duo autem diversarum tragoediarum argumenta contaminasse Hyginum propterea mihi persuasum est, quod posterioris narrationis [CIV] momenta singula omnia fere ex priori deflexa et detorta esse videntur. in ipsius Protesilai locum imago successit cerea, generosa fides quam Laodamia servat marito in improbam commutata est lascivae

10) Iuniorem enim hunc Dicaearchum, qui iam suboluerat Naekio [Opusc. I p. 214], eum fuisse qui tragoediarum composuit argumenta docuit me Wilamowitzius collega amicissimus. Idem metrica argumenta iniuria Aristophani abiudicari mihi probavit. Antigonae enim Euripideae hypothesin versibus inclusam ipse testatur Aristophanes in Sophocleae fabulae argumento: κεῖται ἡ μυθοποιία καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν 'Αντιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος

δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν
καὶ
τίκτει τέκνον τὸν Μαίονα.

11) Haec ut interpolatoris qui ex una fabula duas efficere studebat figmentum Wilamowitzio suasore seclusi. Quamquam ob hanc interpolatoris fraudem etiam aliquot genuini Hygini verba interciderunt, quibus Protesilaum a Mercurio reductum esse significatum fuit. Ceterum interpolatorem sermonis quoque prodit scabrities.

mulierculae insaniam, mortem denique oppetit non propter coniugis ipsius funus sed quod effigies mariti sibi erepta est. Haec si recte sensi Eustathii expositionem, in qua item duarum tragoediarum formas expressas esse vidimus, cum Hygini narratione [12]) concinnare licebit. Errat igitur Hyginus quod Laodamiam deos exorantem facit, immo Protesilaus ipse inferos exorat, ut sibi coniugem denuo videre liceat, atque reductus a Mercurio εὗρεν ἐκείνην ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην. Hoc quid sibi velit fortasse ex artis monumentis explicari potest.

Bis enim fabula nostra in sarcophagorum anaglyphis repraesentata est, in notissimo illo sarcophago Vaticano [Winckelmann Mon. ined. I t. 123. Visconti Museo Pioclementino V 18] et in sarcophago Neapolitano iam a Montefalcono [Diar. ital. III 314] edito, a Welckero demum ad Protesilai et Laodamiae amorem relato [Monum. inst. III t. 40 A. Annal. inst. XIV 32 37 = Alte Denkm. III p. 553 sqq.]. Atque Neapolitani sarcophagi simpliciorem imaginem paullo fusius enarrare liceat, cum in nonnullis rebus a Welckeri interpretatione recedendum mihi videatur. In sinistro latere Protesilai umbra capite obvoluto adstans a Cupidine deducitur ad solium Plutonis, qui Proserpinae precibus cedens [cf. Lucian. dial. mort. 23 extr.] unius ei noctis commeatum concedit [13]). Frontem occupat scaena una figuris Lunae Solisque, qui in sinistro dextroque angulo sculpti sunt, conclusa: scilicet Protesilaus cum Lunae ortu reversus Solis ortu ad inferos redire debet [14]). In sinistra huius scaenae parte patet Orci ianua, ex qua Protesilaus humanam faciem indutus prorumpit, ab Mercurio foris adstante exceptus, cui traditur a sene barbato serviliter vestito et bacillum sinistra tenente. Hunc senem miro errore ipsum Plutonem esse putavit Welckerus, cui recte oblocutus erat Aem. Braun [Annal. XIV p. 34], quamvis in ea re falsus quod Charontem agnoscere sibi videbatur; est enim ianitor Orci, notus ex pictura Ostiensi qua Orpheus apud inferos repraesentatur [Benndorf Mus. Lateran. 590], atque ex Aristophanis Ranis [v. 464. 605]. [15])

Pergit inde Protesilaus versus thalamum coniugis, qui mediam dextramque frontis partem occupat atque more solito aulaeo a duabus famulis distento indicatur. In intima thalami parte Protesilai caput obvolutum cernitur: est enim umbra defuncti, quo significetur omnibus quae ibi gerantur maritum, cuius imago Laodamiae menti haeret infixa, quasi praesentem interesse. Iuxta Protesilai umbram apparet herma Bacchi barbati et corona cincti, pone aram molae adolendae paratam: omnia ad rem sacram faciendam iam praeparata sunt: famularum altera in canistro poma libaque adfert, altera adstat cum alabastro, ipsa Laodamia urnulam tenere videtur —

12) Initium quoque Hyginianae fabulae ex metrica hypothesi quam supra ex Eustathio enucleavimus expressum esse videtur.

13) Hanc scaenam ad reditum Protesilai refert Welckerus, cui obstat non solum rerum ordo, verum etiam Cupidinis motus alacrior et Proserpinae utpote cum blanditiis orantis habitus.

14) Cum Luna et Sol insolita ratione stantes neque ut in aliis sarcophagis factum est currum regentes effecti sint, a volgari horum numinum praesentiae explicatione [cf. Iahn Arch. Beitr. p. 79 sqq.; 91] recedere posse putavi.

15) cf. quae de Aristophanis scaena disseruit Hillerus meus in Herma Berolinensi VIII p. 453 sq. Ceterum ianitoris huius mentionem apud Horatium [III 11, 13] in notissimis illis versibus

cessit immanis tibi blandienti
ianitor aulae

male intellectam interpolationi ansam praebuisse ingeniosa est Wilamowitzii suspicio.

ecce appropinquat maritus! Laodamia sive laetitia externata sive inexpectato adventu perterrita manibus coniugem versus protensis humi procumbit, accurrit famula eam sublevatura.

Claudit hanc scaenam vividissimam Solis figura, de qua supra iam dixi; sequitur in dextro laterculo Protesilaus peracto commeatus tempore uxorem deserens lugentem et gladium quo statim ipsa mortem sibi consciturа est iam stringentem, cum inter ipsos Cupido vultu tristi atque demisso adstet.

Longe inferius arte etsi artificio numerosius est Vaticanum anaglyphum: excipiunt sese inde a sinistra parte Protesilaus e navi prosiliens, Protesilai occisi anima a Mercurio excepta, Protesilaus ipse humanam rursus faciem indutus et reductus a Mercurio[16]), tum Laodamia tristis in lectulo accubans, adsidente patre Acasto, evanescente pone lectum umbra Protesilai. claudit denique a latere dextro Protesilaus a Mercurio rursus usque ad Orci ianuam reductus et a Charonte exceptus. Singulare vero est quod pone Laodamiae lectum aspicitur aedicula ornata persona tragica et thyrso vittisque instructa, humi proiectis instrumentis musicis, tibiis cum tympano et cymbalis. Agnosco hac quoque in re significationem sacri cuiusdam Bacchici, quod Laodamia apparatura erat cum coniux redibat, quocum conferendum est quod apud Philostratum legitur [Imagg. II 9]: ἄπεισι δὲ οὐχ ὥσπερ ἡ τοῦ Πρωτεσίλεω καταστεφθεῖσα οἷς ἐβάκχευσεν.

Haec si perpendimus apparet credo Porphyrii errore factum esse quod Protesilaus dicitur invenisse uxorem ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην: immo substituendum est signum Bacchi, Protesilai vero effigies ex altera cuius argumentum apud Eustathium sequitur fabula male in priorem intrusa est. Quae quin Euripidis sit Protesilaus dubitari nequit. Huius enim hypothesis pedestri sermone compositae initium servatum nobis est ab interprete Aristidis [p. 671 Ddf.]:

> ὁ Πρωτεσίλαος δρᾶμα γέγραπται Εὐριπίδῃ. λέγει δὲ ὅτι γαμήσας καὶ μίαν ἡμέραν μόνην συγγενόμενος τῇ γυναικὶ αὐτοῦ ἠναγκάσθη μετὰ τῶν Ἑλλήνων κατὰ τῆς Τροίας ἐλθεῖν καὶ πρῶτος ἐπιβὰς τῆς Τροίας ἐτελεύτησε, καί φησιν ὅτι τοὺς κάτω δαίμονας ᾐτήσατο καὶ ἀφείθη μίαν ἡμέραν καὶ συνεγένετο τῇ γυναικὶ αὐτοῦ.

Habemus igitur Protesilaum ipsum paulisper redeuntem, unde patet Euripidis fabulam non diversam esse ab ea quam Eustathius et Hyginus priori loco enarrant. Quod si tenemus, ipsam fabulam, cuius aliquot nobis servata sunt frustula [fr. 649—658 Nk.], aliqua ex parte, atque aliter quam fecit Welckerus [Trag. p. 494 sq.], restituere possumus.

Protesilaus in ipsa nuptiarum praeparatione, cum thalamus quo coniugem deducturus erat nondum perfectus et expiatus esset, expeditionis Achivorum fama abreptus est. Atque cum Parcarum carmine constaret eum mox ubi abierit rediturum[17]), Laodamia prae nimio

16) Omisi scaenam in ipsa media frontis parte exhibitam, qua manibus iunctis adstantes pro sepulcri ianua clausa repraesentantur adulescentulus et puella. Hae enim figurae, quippe quae omni certae actionis motu careant, ad hominis defuncti et in hoc sarcophago compositi memoriam referendae sunt.

17) Hoc ex Catulli verbis petendum [68, 85]

> quod scibant Parcae non longo tempore abisse,
> si miles muros isset ad Iliacos,

quibus exprimitur ambiguitas fatidici carminis in duplici verbi *κατελθεῖν* significatione ludentis. nihil in hoc loco mutandum videtur, modo recte intellexeris infinitivum praesentis actionis perfectae *abisse*: nam *non longo tempore abisse* dictum est pro *non diu absentem factum esse*.

amoris aestu[18]) in domum inceptam sese deduci passa, post primam matrimonii incohati noctem maritum dimisit ad expeditionem, quae illum diutius quam expectaverant a domo distinet. Iam infaustis rumoribus Protesilai mortis fama spargitur, itaque Laodamia fortasse somnio exterrita deos placare studet et Baccho sacrificium parat. Haec vel similia in prologo ab ipsa ut suspicor Laodamia exponi potuerunt.

Sequitur chori, quem ex Laodamiae famulis vel ex matronis Iolciacis[19]) constare conicio, parodos, quam excipit Laodamiae cum patre Acasto colloquium, ad quod complura ex fragmentis referenda esse vidit Wilamowitzius. Pater, cui Protesilaum cecidisse pro certo constat, filiam etiamtunc dubitantem vituperans

> πόλλ' ἐλπίδες ψεύδουσιν καὶ λόγοι βροτούς [652]

et de communi omnium hominum fato consolans

> πέπονθεν οἷα καὶ σὲ καὶ πάντας μένει [651]

novas ei nuptias persuadere studet[20]), qua in re ex communi feminini sexus indole argumentanti ei

> κοινὸν γὰρ εἶναι χρῆν γυναικεῖον λέχος [655]

cum filia acriter repugnet, numquam se fidem mariti violaturam spondens

> οὐκ ἂν προδοίην καίπερ ἄψυχον φίλον [657]

res usque ad altercationem acerbissimam procedit, cuius acrimoniam chorus mitigare velle videtur monendo

> δυοῖν λεγόντοιν, θατέρου θυμουμένου
> ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος [656].

Insecutus est ἄγγελος qui Protesilai mortis nuntium certum affert. in huius narratione potuerunt locum habere, quae de Achillis cunctatione et Ulixis astutia apud Eustathium [p. 325, 3 sq.] et Ausonium [Epit. her. 12, 4][21]) referuntur. In hac scena quam in κομμὸν exire proclivis est suspicio a Laodamia dicta esse possunt

> οὐ θαῦμ' ἔλεξας θνητὸν ὄντα δυστυχεῖν [653]

et

> ὦ παῖδες οἷον φίλτρον ἀνθρώποις φρενός [654]

sic enim haec verba interpungenda esse, ut de liberorum solacio sibi negato queratur Laodamia, vidit Welckerus.

18) Quid sibi velit quod apud Eustathium Protesilaus dicitur *καὶ μετὰ θάνατον ἐρῶν τῆς γυναικὸς κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης* non satis exputo.

19) Laodamiam non Phylacae apud Iphiclum socerum vivere, sed remansisse Iolci apud Acastum patrem consentaneum est. Welckerus [l. l. p. 495] in errorem sese induci passus est ab Ovidio [Her. 13, 35]. Hinc etiam factum quod Acastus quasi pro patria potestate cum filia, quippe quae a marito nondum in propriam domum deducta sit, agere potuit. Sentis opinor qualem vim *δόμος ἡμιτελής* ex mytho prisco etiam in tragoediam adsumptus habeat.

20) Quod Eustathius hoc ad alteram fabulam transfert aut errore factum est, aut idem in prioris enarratione ut levioris momenti praetermisit.

21)
> Audaci ingressus Sigeia litora saltu
> captus pellacis Laertiadae insidiis,
> qui ne Troianae premeret pede litora terrae
> ipse super proprium desiliit clypeum.

Nunc Protesilai ipsius umbra prodiit coniugem sibi vindicatura. resistit Acastus suum in filiam ius melius esse contendens. qua in altercatione Protesilaus obicit optimo se iure Acasti esse generum:

ἀξίως δ᾽ἐμὸς
γαμβρὸς κέκλησαι, παῖδα μοι ξυνοικίσας [649]

Pervicit Protesilaus; dum coniugis reditu insperato fruitur Laodamia, choro cantici longioris occasio data est. quo finito Mercurius procedit, ut Protesilaum a coniuge sevocet, divinos simul honores in futurum ei habitum iri vaticinans

οὐ γὰρ θέμις βέβηλον ἅπτεσθαι δόμων [650]

quod ad Protesilai cultum apud Elaeusios referri posse intellexit Wilamowitzius. In exodo denique quomodo Laodamia post mariti secessum ipsa mortem sibi consciverit narrabatur[22])

ὅστις δὲ πάσας συντιθεὶς ψέγει λογῳ
γυναῖκας ἑξῆς, σκαιός ἐστι κοὐ σοφός·
πολλῶν γὰρ οὐσῶν τὴν μὲν εὑρήσεις κακήν,
τὴν δ᾽ ὥσπερ αὕτη λῆμ᾽ ἔχουσαν εὐγενές· [658]

Haec igitur Euripidis tragoedia fuit, a qua prorsus diversa est recentior illa fabula, quae non in Protesilai reditu sed in cereae imaginis cultu versabatur. Quis eius auctor fuerit ignoramus: pariter nescimus quemadmodum hoc argumentum ab Alexandrinae aetatis poetis epicis vel elegiacis tractatum sit. Ex unico enim versu quem ex Heliodori Protesilao[23]) nobis servavit Stephanus Byzantius s. v. Φυλάκη

Ἀργείων τελέεσσιν ὅσοι Φυλάκηθεν ἕποντο

nihil colligere possumus. Quamquam in eiusmodi fortasse epylliis fons latet Laevianae Protesilaodamiae et Ovidianae epistulae, nisi Ovidium sua ex ὑποθέσεων libro sumpsisse statuamus. A tragicis latinis hoc argumentum neglectum est: Pacuvii enim Protesilaus solius Antonii Volsci[24]) fide sublesta nixa vel ideo nulla fuit, quod Pacuvii fabulae duodecim, plures enim non docuit, usque ad Antoninorum aetatem pari omnes studio lectitatae et a grammaticis excerptae sunt. Quapropter item ex Pacuvianarum fabularum numero eximenda Pentheus a Servio [ad Aen. IV 469] male pro Acciana tragoedia laudata, sicut viderat iam Elmsleius [ad Eur. Bacch. p. 5], neque maiorem habeo fidem Ribbeckii coniecturae, qua Chrysippum in Chrysis locum ter inducere voluit [Röm. Tragoed. p. 258]. Catullus ex Euripidea tragoedia pendet.

Tandem igitur in viam coeptam redire licet et quaerere quomodo Catullianum distichon unde orsi sumus

22) Eadem fortasse persona narravit quomodo Protesilaus humana forma exuta Mercurii iussu subito rursus in umbram evanuerit

ὁ δ᾽ ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ᾽ ἀφεὶς ἐς αἰθέρα [inc. fr. 961 Nk.]

23) De hoc Heliodoro conferenda quae post Welckerum [Trag. p. 1323] exposuit Meineke in Analectis Alexandrinis p. 384.

24) In argumento Ovidianae epistulae XIII: 'Pacuvius et Titinius prothesilaum tragoediam ediderunt, ex qua multum in hanc epistolam Ovidius transtulit', quod ex dignis tenebris immerito protraxit Dilthey [de Cydippa p. 59].

Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
qui tuum domitum ferre iugum docuit

emendandum sit. Sententia alia vix esse potest nisi haec: amor tuus docuit te iugum Protesilai etiam absentis et mortui ferre, ita ut novarum nuptiarum condicionem ab ipso patre oblatam merito repudiares. Itaque scribo:

qui *viduam domini* ferre iugum docuit.

Quam leve vero in Veronensis libri scriptura discrimen inter quιduamdomιm et quιτuumdomιτū intercessent ex exemplis a Schwabio in praefatione editionis p. XXIII compositis patet.

II.

Erunt fortasse qui mirentur quod in eis quae supra scripsi LXVIII carmen simplex dumtaxat et unum ad M'Allium missum esse significavi. At ego satis mirari nequeo quod praeter Lachmannum Hauptiumque et qui horum duumvirum vestigia legit Muellerum, reliqui Catulli interpretes recentiores fere omnes carmen praeclarissimum dissecare quam recte intellegere maluerunt. Itaque non inutilem suscipere mihi videor laborem si paulo fusius exposuero, cur mihi ei errare videantur, qui elegiarum hanc reginam particulatim obtruncare studeant. Ac primum quidem immerito in ea re haerent, sicut Schwabius fecit [Quaest. Catull. p. 343], quod acerbum casum, quo amicus ille ad quem Catullus elegiam misit in principio [68, 1—6] se oppressum esse significat,

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
sublevem et a Mortis limine restituam,
quem neque sancta Venus molli requiescere somno
desertum in lecto *caelibe* perpetitur,

de praematura uxoris morte interpretantur: pugnare vero cum hac sententia exitum carminis [68, 155]

Sitis felices et tu simul et *tua vita.*

At miraremur certe unicum plane maritum, qui, ubi amicum de coniugis obitu certiorem reddit, simul fabellas Milesiacas amorum et lasciviae plenas in solaciolum sui doloris expetat! Talem autem hominem fuisse Catulli amicum elucet ex versibus 9 et 10

Id gratumst mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
muneraque et Musarum hinc petis et *Veneris.*

Neque minus singulare quod idem in tam tristi scribendi occasione turpiuscule iocando obicit [v. 27 sq.]

Veronae turpe Catullo
esse, quod hic quivis de meliore nota
frigida deserto tepefactet membra cubili.

Quid quod ne Catullus quidem amici illo dolore acerbo admodum commotus esse videtur? nam si scire cupis quomodo in re seria amicorum casus commiseratus sit, legas quaeso carmen XCVI quo Calvum de Quintiliae uxoris morte lugentem consolatur. Apage igitur maritum istum insolabiliter dolentem: qui a Catullo fratris morte graviter oppresso munera Veneris et Musarum flagitat eumque monet ut mox in elegantiorum hominum coetus et ad sodales Romam revertatur, ei certe vix graviora perferenda fuerunt quam amantium iracundiae amicaeque perfidia. Ipsa denique mortis mentio ne satis quidem disertis expressa est verbis, sed interpretum somniis debetur: nihil vero frequentius quam procellarum et naufragii usus translatus in infelicis amoris descriptione. Neque insolentius *caelibem* lectum is lamentatur quem amica deseruit, quam Laodamia apud Ovidium [Her. 13, 107.] aucupari dicitur:

in lecto mendaces caelibe somnos.

Repetit igitur Catullus in prooemio ipsa amici verba vel sensa, ut ficto eius et supra modum aucto propter amicae perfidiam dolori vera sui ipsius incommoda consulto opponat. Neque quidquam in toto hoc carmine, quod ego ex omnibus lyricae Latinorum poeseos monumentis longe praeclarissimum esse iudico, suavius et elegantius excogitatum est, quam quod poeta, qui amicum Musarum munere consolari studet, in extrema votorum pro Allii eiusque puellae salute nuncupatione:

155 Sitis felices et tu simul et tua vita

consolatione sua non iam opus esse auguratur. Qui enim amico illi duriori et constantiori esse licuit quam ipse fuerat Catullus puellae discidium obstinata mente perferre frustra gestiens? Atque 'amantium irae amoris integratiost.'

Alterum chorizontum argumentum petitur ex nominis eius ad quem Catullus hoc carmen scripsit diversitate. Sexies nomen huius hominis commemoratur: bis de nominis forma quae est *Allius* Oxoniensis libri beneficio nunc iam certo nobis constat:

50 in deserto Alli nomine opus faciat
(alli *O* ali *G*)

et

65 tale fuit nobis Allius auxilium
(allius auxilium t manllius *O* manlius aux. *G*)

neque minus certa ratione idem nomen bis ex librorum corruptelis elici potest:

41 non possum reticere deae *quam fallius* in re[25])

et

150 pro multis *aliis* redditur officiis.

Repugnant duo tantum versus qui in priori elegiae parte extant:

11 sed mea ne tibi sint ignota incommoda *mali*

et

30 id *mali* non est turpe, magis miserumst.

Atque *Alli* nomen cum metro ab his versibus arceatur, disceptari sane potest utrum alius nominis velut *Manlius* an praenominis velut *Manius* forma reponenda sit. Sed quamquam per

25) Corruptela ex vetustissimo certe libro propagata, in quo QVAMEALLIVS unius litterae mutatione facillima abierat in QVAM FALLIVS.

se quidem utraque mutatio paris est facilitatis, tamen *Manlii* nomen notissimum non tam proclivem errori ansam praebuit, sicut re vera in fescenninis Catulli [61, 16. 215] fere intactum a corruptelae labe mansit, cum *Manii* praenomen insolentius vel propter vocum *incommoda* (68, 11) et *turpe* (68, 30) viciniam a librariis cum familiari *mali* notione confundi vel debuerit. Ob hanc igitur rationem nihil obstat quominus Allium praenomine Manii donemus, ut a libris traditam carminis continuitatem tueamur. Appellationis vero in uno eodemque carmine diversitas si quem offendit, ea inde facile explicatur, quod in priori parte ipsum Allium, cuius molles auriculae gaudebant *praenomine*, alloquitur poeta, in altera autem parte, qua Musas invocat eisque Allii ut absentis nomen commendat, *nominis* appellatio prorsus fuit necessaria[26]). Hoc in praenominis nominisve electione poetae consilium si agnosces omnes evanescent difficultates.

Quid vero? Catullus a quo Allius utpote ab amico et poeta petierat ut sese naufragum ex amoris procellis sublevaret

5 quem neque sancta Venus molli requiescere somno
desertum in lecto caelibe perpetitur,
nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
oblectant, cum mens anxia pervigilat.

sibique et amatorias nugas a semet ipso compositas (*Veneris munera* v. 10) et carmina ad veterum Graecorum imitationem expressa (*Musarum munera* ib.) suppeditaret, nonne is amici preces denegat et mentem suam huic rei imparem esse fatetur:

31 Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
haec tibi non tribuo munera, cum nequeo?

Qui igitur idem homo elegiam centum sexaginta versuum elaboratissima arte modulatorum componere et Allio mittere potuit? Set ipse significat non *utriusque* desiderii sese explere posse expectationem, sed alterutrum solum praestiturum

quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
id facere aut animo non satis ingenuo,
quod tibi non *utriusque* petenti copia praestost:[27])
40 ultro ego deferrem, copia siqua foret.

Itemque non omnino denegantis sed muneris exiguitatem excusantis sunt quae praecedunt

nam, quod scriptorum *non magna* est copia apud me,
hoc fit quod Romae vivimus: illa domus,
35 illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
huc *una ex multis* capsula me sequitur —

alioqui dixisset scriptorum *nullam* copiam apud se esse. Eadem ratione explico

13 accipe quis merser fortunae fluctibus ipse,
ne amplius a misero dona *beata* petas.

26) Vides igitur quam inconsiderate Westphalius (Catulls Gedichte p. 100) in versu 50 coniecerit
in deserto A u l i *nomine* opus faciat.

27) Hanc enim lenissimam traditae scripturae *posta est* mutationem quam Froehlichius proposuit recipiendam esse censeo.

Quae si recte intellexi disertis verbis (v. 39. 40) Catullus promittit se etsi non Veneris at Musarum munere qualicumque amico satisfacere velle. Expectat igitur qui ad haec attenderit animum iam tale munus secuturum, quam expectationem ei frustrantur qui ipso versu quadragesimo carmen finiunt.

Nullius igitur sunt momenti argumenta quibus Allium et Manium vel Manlium diversos fuisse homines probare student: nam ea quae praeteria a nonnullis proferri video, ex perplexa carminis dispositione aut ex sensuum commutatione desumpta, ita sunt comparata ut certa ratiocinatione redargui neque possint neque debeant. Iam vero alia praesto sunt quibus veterum interpretum opinionem, quorum nemo de huius elegiae integritate dubitaverat, tueri possumus. Primum ecquis non videt quam bene inter se conspirent

12 sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mani,
neu me odisse putes *hospitis* officium

et

68 isque *domum* nobis isque dedit dominae,[28])
ad quam communes exerceremus amores

atque

155 sitis felices et tu simul et tua vita
et *domus* ipsa in qua lusimus et domina

horumque locorum consensui ipse Westphalius tantum concedendum esse arbitratus est, ut utrumque quod statuit carmen ad unum eundemque A. Manlium — quidni ad M'. Allium?[29]) — missum esse coniceret.

Graviter deinde offenderunt nonnulli in aliquot versuum quibus Catullus fratris mortem deflet iteratione. Legitur enim primo inde a versu 19

sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
20 abstulit. o misero frater adempte mihi,
tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
quae tuus in vita dulcis alebat amor.

28) Haec quoque scriptura, libri enim praebent accusativum *dominam*, debetur Froehlichio. Vulgata scriptura qua Allius Catullo *dominam*, Lesbiam scilicet, dedisse dicitur et propter structurae obscuritatem — quotus enim quisque relativum quod sequitur pronomen non ad *dominam* sed ad *domum* spectare non admonitus sentiet? — aperte falsa est, et propter versus 157. 158

Et qui principio nobis † terram dedit aufert,
a quo sunt primo mi omnia nata bona.

quibus is Allii Catullique sodalis significatur, quicumque is fuit, qui Catullo Lesbiam conciliavit. Quamquam corruptissima haec verba nondum satis probabiliter correcta sunt, neque ego in his tenebris quidquam dispicio, nisi nomen proprium huius hominis nullo modo indicari posse. Fuit cum in *aufert* latere suspicarer *auspex*, quod Catullus ex similitudine auspicum nuptialium usurpare potuit, — sed praestat ἐπέχειν.

29) Nam quod Westphalius [l. l. p. 97] ex vv. 49 sq. 151 sq colligit amicum Catulli nobili genere ortum esse, certo caret fundamento, neque Allius prorsus ignobilis fuit, cum ex consulari stirpe [cf. *CIL* I p. 446 adn.] natus esse potuerit.

deinde postquam Protesilao ex novae coniugis amplexu Troiam ad commune sepulcrum Asiae Europaeque proficiscendum fuisse narravit, in obscaeni et infelicis littoris Troiani, ubi et Catulli frater sepultus fuit, commemoratione luctus et dolor vixdum lenitus subito rursus exardescit:

90 Troia virum et virtutum omnium acerba cinis:
quaene etiam nostro letum miserabile fratri
attulit. hei misero frater adempte mihi,
hei misero fratri iucundum lumen ademptum,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
95 omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
quae tuus in vita dulcis alebat amor.

At offensio huius repetitionis sane inelegantissimae, si in duobus diversis et ad diversos amicos missis carminibus Catullus semet ipsum quasi exscripsisset,[30]) prorsus mihi removeri videtur, si in una eademque elegia poetam eandem sententiam iisdem fere verbis consulto iterasse statuimus. Illa enim fraternae mortis flebilis commemoratio, utpote ex imis medullis ultro profluens, immunis esse debet a poetae artificio in sententiarum variatione conspicuo. Atque si accuratius sententiarum et vocabulorum nexus electionesque examinamus, priori loco [v. 19—24] hos versus principio destinasse Catullum apparet nisi fallor et ex triplici pronominis secundae personae anaphora [*tu — tecum — tecum*] et ex singulari ratione qua in versu 21, qui in repetitione post versum 92 omissus est,

tu mea tu moriens fregisti *commoda* frater

respicitur ad versum 11

sed tibi ne mea sint ignota *incommoda*, Mani.

Accedit quod altero loco post v. 91 fratris epiphonema salva sententiarum structura eximi potest; consulto igitur versus priori loco factos hic inseruit. Qua re ea quoque refellitur sententia qua quis versus 1—40 post reliquos compositos esse conicere possit.

Porro si posterior elegiae pars inde a versu 41 seiungitur, ut Allii encomium, quemadmodum plerique volunt — at quamnam quaero ob caussam compositum et qualinam destinatum occasioni? — mira certe cuique videri debent ea quibus Catullus lepidissimam amoris Lesbiae cum Laodamiae ardoribus comparationem conclusisse tum putandus est

135 Quae tamenetsi uno non est contenta Catullo,
rara verecundae furta feremus erae,
ne nimium simus stultorum more molesti.
Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
coniugis in culpa flagrantem concoquit iram,
noscens omnivoli plurima furta Iovis.

30) Nam prorsus diversa est earum iterationum ratio velut 'quoi neque servus est neque arca' [23,1 = 24,5] quibus olim Hauptius [Opusc. I p. 79] Lachmanni artificium hos sex versus [68, 21—24. 92. 93] in carmen LXV ad Hortalum missum transponentis defendere studuit. Sed cum eum versum qui huic transpositioni ansam dedit, est enim illius carminis nonus '*alloquar audiero numquam tua fata loquentem*' in Veronensi libro non extitisse Oxoniensis testimonio nunc edocti simus, nemo credo amplius Lachmanni illo invento abutetur.

Huius rei caussa certe neque ex Laodamiae fide[31]) repeti potest neque aliquo cum Allii laudibus iuncta est vinculo: neque Catullus velut subito animi dolore correptus in amicae infidelitatem invehitur, sed mente satis tranquilla Lesbiae perfidiam Allio narrat et excusat. At si animum ad initium elegiae referemus festivissimum poetae consilium statim apparebit. Nam Allio de amicae perfidia, quae ipsum deseruerit, graviter conquesto respondet semet ipsum similia patienter tolerare. Talia, dummodo rara sint furta verecundae erae, inter amantes esse ferenda, sicut et ipsa Iuno plurima Iovis furta tolerare neque ei irasci debuerit. Caveat itaque ne amicae nimis molestus custos in stultitiae crimen elegantiori homini prae omnibus detestandum incidat.

En, quomodo Catullus satisfecerit amici desiderio qui sese ab amoris procellis in littus eiectum ut sublevaret precatus erat!

Haec igitur cum recolo nullam video caussam cur recedendum sit ab opinione communi atque Veronensis libri auctoritate munita, quam spernere non debebant duumviri hodie de Catullo optime meriti eiusque elegantiarum existimatores sollertissimi, Ludovicus dico Schwabe et Theodorus Heyse. Ceterum elegia ad M'. Allium multo minus depravata in libris fertur quam vulgo opinantur. Pauca enim sunt quae etiamnunc emendationem exigant, modo ne locos propter versuum hiatus insanabiles, velut vv. 46 et 141, aut propter rerum ignorationem desperandos, velut v. 157 de quo modo dixi, temere attemptemus; pauciora vero quae aliter atque in Hauptii recensione omnium nitidissima factum est constituere velis, sicut in versu 39 *praestost* et 68 *dominae* a Froehlichio, in versu 102 *Graia* a Muellero inventum recipiendum puto.[32])

At novissimi editoris commenta inutilia omnia, pleraque vel inficeta iudico. qui cum in versu 18

non est dea nescia nostri,
quae dulcem *curis* miscet amaritiem

scribendum coniceret *vitis*, non intellexit figuram in poetarum sermone longe usitatissimam, qua dulcis amoris amarities curarum admixtione effici dicitur: idem comparationem elegantissimam et ex Alexandrinorum arte profectam

qualis in aerii *perlucens* vertice montis
rivus muscoso prosilit e lapide,

---

31) Quid commoverit poetam ut Clodiam cum Laodamia componeret nos nunc non iam dispicere possumus. Fecitne id propter *domum frustra inceptam*, quod Protesilao quoque puellam amatam in suam ipsius domum deducere non licuerat? Certe in eo non haesit Catullus, quo nos offendimur, quod adulteram Clodiam cum luculentissimo uxoriae fidei exemplo compararet, nimis enim contempsit Metellum ut hominem fatuum et mulum [LXXXIII 2. 3], quod quid sibi velit is perspiciet qui ex Festo meminerit cur muli Lunae bigis adhibeantur.

32) His fortasse accedant vv. 63 sq.

Hic, velut in nigro iactatis turbine nautis
lenius aspirans aure secunda venit
iam prece Pollucis, iam Castoris implorata

ubi ultimi versus certa emendatio iam ab Italis reperta est, qui pro archetypi scriptura *implorate* reposuerunt *implorata*. Sed in primo horum versuum non satis perspicio unde verba *in nigro turbine* apta sint: verborum enim collocatio prohibet quominus cum sequentibus *aura secunda venit* iungamus. *in turbine iactari* vero quid sit non intellego. Scripsitne Catullus

Hic *veluti* nigro iactatis turbine nautis?

qui cum de prona praeceps est valle volutus,
per medium sensim transit *iter populi*,
dulce viatori lasso in sudore levamen,
cum gravis exustos aestus hiulcat agros.[33])

— nam Graecam produnt originem quae distinxi, quibus et Homericum [*I* 14] ὥστε κρήνη μελάνυδρος de industria corrigitur et vox λεωφόρος ad verbum redditur — prorsus corrupit scribendo *dulce viatorum crasso* — immo *basso* quod libri praebent — *in sudore levamen*; neque intellexit artificium Catulli, cum in versu 90

quo mea se molli candida *diva* pede
intulit et trito fulgentem in limine plantam
innixa arguta constituit solea

corrigeret: candida *cura* 'neque enim ubi *diva* pro *amata* inveniatur dictum habeo' [ann. phil. 1872, 836], quasi non Lesbiae ἐπιφάνεια describeretur velut alterius Veneris, non Erycinae 'quam Iocus circumvolat et Cupido', sed Alexandrinorum poetarum

133 quam circum cursans hinc illinc saepe Cupido
fulgebat crocina candidus in tunica,

ubi Cupidinis tunicati imaginem satis insolentem ex Tanagraeorum sigillis nunc nobis referre possumus; neque melius rem gessit in vv. 97 sqq.

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
nec prope cognatos compositum cineres,
set Troia *obscaena*, Troia infelici sepultum
detinet extremo terra aliena solo.

ubi primum pro *quem* reposuit *te*, praeter morem a Catullo in hoc carmine observatum, ut enuntiata vel primaria pronominis relativi vinculo conecteret, velut in vv. 25. 70. 91. 101. 105. 135 factum est, deinde coniecit Troia *obscura*, ignoratione mali ominis significationis ob quam *obscaeni* notio huic loco vel aptissima est; prorsus denique in contrarium pervertit sententiam vv. 139 sq. scribendo

Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
coniugis in culpa flagrantem *concipit* iram,
noscens omnivoli *perfida facta* Iovis.
ne nimium simus *stultorum* more molesti.

---

33) Eximia quoque arte sunt compositae quae hos versus antecedunt comparationes amoris ab Aetnae et aquarum Thermopylensium caloribus desumptae:

Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
maesta neque assiduo tabescere lumina fletu
cessarent tristique imbre madere genae.

sensim enim Maliacae lymphae mentione legentium animi praeparantur descriptioni amoris diu infelicis atque lacrimarum pleni quae sequitur. Plane simili artificio in rivi e montibus in planitiem decurrentis descriptione viatoris lassi et aquae haustu recreati imago traducit ad eam comparationem qua Allii salutaris celebratur amicitia, quae amicum naufragum sublevarat. Omnia enim in hac elegia tam consummata inter se nexa et colligata sunt arte, ut gratae neglegentiae specie elaboratissimae compositionis studium obscuretur.

ubi dicendum fuit Iunonem iram non concepisse sed repressisse propter *plurima* Iovis furta, quibus respondent in eis quae antecedunt, *rara* Lesbiae furta, quae Catullus ferenda esse censet

ne nimium simus stultorum more molesti,

sed ne hic quidem versus, qui quemadmodum intellegi debeat supra significavi, ab eius libidine intactus mansit: quid coniecerit scribendum esse ipsius hominis verbis declarare liceat, 'quis enim, di boni, umquam fando vel legendo audivit stultos homines hunc habere morem, feminis esse molestos? quod si aliquando verissimum est, num ideo licet hoc tamquam communem omnium stultorem morem designare? non scripsit hercle Catullus tam inepta, sed dedit quod vita cotidiana comprobavit

ne nimium simus *tutorum* more molesti,

de tutoribus eorumque supercilio omnia nota'. [Anall. Catull. p. 62.]

Verum ne ipsi stultorum more nimis molesti esse videamur in talibus exagitandis quae melius 'ventos irrita ferre et nebulas aerias sinas', iam laetiora auspicemur vosque invitamus ad largam lautamque omnigenarum disciplinarum dapem infra appositam, qua si strenue et gnaviter uti volueritis, ne ipsi postmodum foedis erroribus irretiri vos patiamini cavebitis.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010666036